



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres**

**Tylkowski, Wojciech**

**Oliva, 1686**

XVI. Beatam dicit Virgine[m] Josias; quia gloriosè magis nome[n] ej[us]  
prædictu[m].

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

Cum Ezechias promissum accepisset vitæ 4. Reg. 20. sol decem gradibus retrò celsit. Eccles. 48. *In diebus ejus retrò redijt sol, & addidit Regi vitam.* Deus certè addidit, non sol. Sol addidit Christus. Rabanus in 4. Reg. 20. Siquidem Sol iustorum Christus, prius per novem Angelorum gradus transiens & ad apprehendendum semen Abrahæ descendens: deinde idem Sol super omnes choros Angelorum ad dexteram Patris ascendens, addidit Ezechia vitam, ut qui nondum erat, deinde additæ sibi vitæ esset ejusdem Solis Pater, idem Sol ut acciperet de Maria addidit illi vitam. Aug. serm. 15. Natus est de Patre Principium vitæ, de Matre autem finis mortis. Hic vitam Ezechia dedit, hic morti quæ moriebatur finem imposuit. Invaserat Sennacherib cum prægnanti exercitu 4. Reg. 19. Regnum Ezechia. Hunc Deus ita alloquitur. *Quæ deprecatus es me super Sennacherib Rege Assyriorum, audivi.* Deinde de Sennacheribo sic loquitur Sioni. *Sprevit te, & subsannavit te filia Sion, post tergum tuum movit caput filia Jerusalem. Non ingredietur urbem hanc nec mittet in eam sagittam, nec occupabit eam elypeus.* Et ita factum, nam nocte una Sennacherib amisit centum octuaginta quinque millia militum, & in fuga in fano Dei sui à filijs jugulatus est. Sed cur Deus audivit Ezechiam, ipse aperit. *Protegam urbem hanc propter me, & propter David servum meum.* Quia ex David Christus nasciturus erat per Virginem è cujus meritis habemus omnia. Inter primas laudes Ezechia tribuitur 4. Reg. 18. quod ut omnem tolleret occasionem idololatriæ, serpentem æneum contrivit, neque hoc contentus, illum serpentem per contemptum appellavit Nohestan, seu, ut Theodoretus habet Nehustam. Philastrius & interlinearis glossa hanc vocem interpretatur. *Æs eorum. Lira Cuprum eorum, Alij, Cuprellum eorum.* At vide qualem Virgo serpentem contrivit. Iob eum describens, ait. *Halitus ejus prunas ardere facit, ferram illi stipula.* Tertiam (addit alter) partem de cælo traxit. Plura vide Job 40. & 41.

16. Beatam dicit Virginem Josias; quia gloriosè magis nomen ejus prædictum.

Ecclesiasticus ait 49. *Memoria Josie est in compositionem odoris. Arabicus vertit.* Nomen Josia velut Thuribulum in quo est de omni fumatione bona. *In omni ore quasi mel indolcabitur ejus memoria, & ut musica in convivio vini.* Hoc est, ut naribus odor gratus, ut mel gustui, ut musica auditui, ita Josias gratus est. Sed & hic beatam debet Virginem dicere. Quia ut scripsit Ambr. lib. 2. de Virginibus. In alijs ministeria, atque umbra, in ipsa autem tanquam in exemplari magisteria expressa

pressa probitatis, quid effugere quid corrigere debeamus, ostendunt. Iosias 37. annis antequam natus, scribit *Tyrinus in 3. Reg. 13.* de nomine descriptus, de rebus gerendarum gloria publicatus. Cum enim impius Ieroboam novos populo Deo proposuisset, atque illis altare erexisset *3. Reg. 13.* Propheta à Deo missus sic contra altare fulminavit. *Altare, altare, hæc dicit Dominus, ecce filius nascetur domui David, nomine Iosias, & immolabit super te sacerdotes excelforum.* Quæ Prophetia decimo sexto regni Iosia anno est impleta, ut ostendit *Salian: in hist. S. Virgo multis ante sæculis antequam nasceretur de nomine proclamata: nam 1200. anni iuxta computationem S. Aug. 18. Civit. 15. Virginis ortura præcesserunt, quibus id nomen revelatum, quo tempore & templum illi erectum. Procopius M. apud Surianum 8. 749 id contra ethnicos profecutus.*

De Iosia scripsit *Rabanus in 4. Reg.* Fama ejus superabat omnem odorem, suavitas modestiæ omnem dulcedinem; studium autem restaurandi cultum Dei, omnem musicam. *ubi nos legimus.* Memoria Iosia in compositione odoris. *Græci legit.* Mnemosynon Iosia in compositionem thymiamatis. De quo Deus sic præcepit *Exod. 30. Sanctum sanctorum vobis erit thymiamas, talem compositionem vos facietis in usus vestros quia sanctus est Domino.* At de Virgine dictum *Cant. 4. Odo anguientorum tuorum super omnia aromata. Illi accinunt Chori electorum: Trabe me post te, in odorem unguentorum tuorum curremus. Ipsa de se Eccl. 24. Balsamum non nisi odor meus.* Non admisit illi quidquam foetoris Adam, non culpæ actualis. De Iosia scripsit *S. Ambr. 2. off. 30.* eum zelo suo omnes Reges superiores vicisse, ipse namque templum refecit, excelsa abstulit, currus solis in torrente Cedron cremavit, aram Ieroboam destruxit, magos & pythones ejecit, phasæ solennissimum fecit. De illo *Eccl. 49. Iosias directus est Divinitus in poenitentiam gentis, & gubernavit ad Dominum cor ipsius.* At Virgo in *Hymn. Græc.* vocatur Directrix poenitentium. In *Lytaniis Lauret.* Refugium peccatorum. *S. Damasc. in canon. ode 9.* sic illam affatus. *Tua puritas Virgo & morum integritas, sordes & maculas universi orbis expurgavit, te armaturam infractam hostibus obtendimus, tu sola mortalibus supernaturalium bonorum Procuratrix. Phasæ transivit Iosia, Phasæ Virgini manebit ad mundi finem. Phasæ Iosia non explevit hominem, Phasæ Virgini est vera satietas. Sic enim in persona illius loquitur Eccl. 24. Transite ad me omnes qui concupiscitis me à generationibus meis implemini.*